



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.l.], 1711

XVIII. Varia Josephi Patriarchæ fortuna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

ta supplicij atrocitas in eos, qui pro damno illato
facere fatis, dareque paratos se ostendebant; quid
cædes tot innocentium, & nulli culpæ affinium;
quid direptio ædium, fortunarum, agrorum; quid
in servitutum abstractio pecorum, hominumque,
in quos nullum jus hostilitatis, nulla iusti furoris
caussa? Accedit maxima temeritas, quæ Jacobum
cum omni familia in præsentissimum internecionis
discrimen coniecit, quod imminebat ab ijs, quo-
rum communia odia & arma, barbaræ crudelitatis
exemplum provocavit; hæssissetque dubio procul
ultio in tergis nocentium, nisi vicinarum civita-
tum vindices manus avertisset Divini providentia
Numinis, mirifico favore Jacobum protegentis.
Auxit gravitatem sceleris obstinatio peccantium,
dum cædium & rapinarum auctores, objurgati à pa-
rente, nihil pacati respondent; &, tanquam furor
tot sævitæ argumentis nondum exsatiatus esset,
perseverant justitiam prætexere vindictæ, juris
omnis & modi limites excedentis. Nempe cum
pudorem profligavit contumacia, virtutum nomi-
na sceleribus imponuntur; & quod malè fit, longè
peius defenditur.

NAR. XVIII.
VARIA JOSEPHI PA-
TRIARCHÆ FORTUNA

Genes. 37. & seqq.

ET fortuna misera est sine inimico, & virtus sine
hoste marcescit; utraque enim non nisi agi-
tata

tata crescit. Iosephus filiorum Jacobi ut pulcherri-
 mus, ita sanctissimus, Rachele natus, à fratribus cæ-
 teris, inter pascua, per invidiam & odium inno-
 centiæ, crudeliter oppressus, Ismaëlitis institoribus,
 illac fortuito prætermeantibus venditur: & ab his
 in Ægyptum abducitur, cum ætatis ageret annum
 septimum, supra decimum. Illic iterum *Putiphari*
 cuidam, supremo regiæ militiæ Præfecto venunda-
 tus; pro mancipio servit, quem liberum mater ge-
 nuerat: quemque pater fratrum conspirante men-
 daciò deceptus, flebat, tanquam à silvestri bestia la-
 ceratum. Sed Iosepho tamen interim, ob virtutes
 ac Numinis assistentem opem clemens fuit, ac tan-
 tum non Dominica servitus. Fuisset eadem & fel-
 ix; nisi præstantis formæ bonò, parùm faustò, pu-
 dicissimus juvenis in oculos dominæ descendisset
 profundius, quàm ipse voluisset. Hujus illi sollici-
 tationibus primùm veneris; deinde (cum eam re-
 pulsa castissima rejecisset) calumnijs appetitus, in-
 iram herilem, carceremque regium insons detrudi-
 tur, annos natus septem ac viginti. Trienniò lapsò,
 cum Ægyptio regi *Pharaoni* perplexum de septenis
 bobus pinguibus, ac macilentis, totidemque spicis
 opulentis, & exesis, perspicua dexteritate somnium
 enodasset: de servitio translatus in libertatem, de-
 que carcere productus in palatium, Ægypti Pro-
 rex renuntiatur. Eius dictatis, consiliisque, quid-
 quid septenniò primò fertilitatis enascitur, in horrea
 congeritur, & in pyramidum illa spatiosa granaria,
 famis subsecuturæ provido remedio præparata. Suc-
 cessit septennium alterum, sterilitatis: quâ, neque
 ex celo terras, neque Nilo campos influente; passim
 E s omni

omni, non Ægypto tantum, sed Arabiâ, Palestinâ, Syriâque laboratum est. Tunc apertis in tempore frumentarijs cellis, frugibusque divenditis, per compendia fiscus regius in immensum auctus Ægyptus argento, pecore, libertate fuit exhausta; volens tamen ac lubens, & ob id injuriarum actionem in nullo foro repertura. Subegit autem eodem temporis, illa publica famis, ferreâque necessitas, etiam Jacobum, in Chananitide sedentem: ut ad se, suorumque familias alendas, semel iterumque filios suos ablegaret in Ægyptum, ad annonam commercandam. Qua coëmptionis occasione Josephus (cujus in urbem & aedes frumentarias illi venerant) prior ipse fratres agnovit: postque multiplices dissimulationis ambages, tandem & agnoscendum se præbuit; injuriæque, quam ab eis olim acceperat, memoriâ penitus in benevolentiam, conversâ, nihil tale meritos, per liberaliter habuit: & alimentis pecuniâque gravatis eorum jumentis, domum lætos remisit. Nec eo contentus fraternæ mentis officio, submissis ex Ægypto curribus, & patrem jusfit ad se, & omnem filiorum ejus, nepotumque sobolem deportari: ne, cum quinqueñium adhuc sterilitatis famelicæ restaret, identidem longius molestiusque petendus victus esset. Nec cunctatus pater est, cui persuasum ægrè tandem fuit, supervivere filium, quem in silva jam olim extinctum, ipse crediderat, ac deplorârat. Is igitur in Ægyptum, uti jussus fuerat, demigravit, cum omni domesticarum rerum suppellectili, familiæque capitibus septuaginta. Tot enim jam tum, & quos ipse genuerat, & quos filij, numerabantur, Israëlitarum vulgò nomine ce-

lebrati. Venientes lætus excepit Josephus, ac præcipue patrem. Cujus in occursum juncto curru, progressus, in regionem *Gessenam* (nam ibi substiterant advenæ) mutuo stringens amplexu, dulces inter lacrimas, auctor illi, fratribusque fuit, ut, quoniam pastoritiæ studerent, in ea potissimum Ægypti parte sedes sibi deligerent; quod locus esset herbidus, frugum ferax, & præ cæteris pascuus; eò consilio id potissimum spectans, ne in regni viscera recepti, Ægyptiorum profanis sacris, ac Deorum multitudine, quondam inficerentur; quam deinde regionem Israëlitæ, approbante rege, legitima possessione retinuerunt. A principio tam bono, quid nisi fausta exspectares, eò quidem incrementò, ut ringeretur invidia, & perire se crederet, nisi perderet felices innocentiaë successus, verum dum nocere cogitat, tum vel maximè, etiam invita prodest.

NAR. XIX.
EADEM HISTORIA
FUSIUS EXPOSITA.

Anno Mundi 2319. Ante Christum 1734.

Magnum est, in rebus adversis non deijci, majus in prosperis non extolli, sed longè maximum in perpetua utriusque fortuna vicissitudine justam animi servare æquabilitatem. Exemplum aspice in Josepho Jacobi filio, qui miram Dei vel indulgentiâ, vel mercede virtutis, diversissimis jactatus casibus, immotus tamen stetit in virtute.